



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

21. Polydamas alter Samson, quomodo oppressus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

S. Augustin.
lib. 15. de ci-
uit. Dei c. 23.

D. Augustino etiam atque etiam animaduertendum est, Deum quosdã interdũ homines tam vastis corporibus nasci voluisse, vt nobis videlicet testatum relinqueretur, tam pulchritudinem corporum, quàm etiam staturæ magnitudinem viresque carnis non esse in bonis præcipuis ponenda, cùm ea non minùs impijs, quàm pijs sint communia. Robur igitur animi, & mentis virtus, quæ apud impios non reperitur, est magnis la- certis anteponenda. Neque quidquam contra naturam, aut naturæ authorem conqueri potest, si cui statura ingens, aut virium negata est magnitudo, cùm nulli negatum sit, quod maius est, virtutem possidere.

XXI.

Cælius lib. 7.
cap. 56.

Denique, ne illi etiam ipsi, quibus à Deo datus est membrorum valor, existiment se omnia posse, atque vt inde etiam ceteri minorum gentium homuli multò magis suam agnoscant imbecillitatem, declarat diuina sapientia, etiam illas ipsas exoticas mortalium vires, alio fine datas, multis esse in exitium, quia sunt in præsumptionem: Sicut enim vino, auro, ingenio, alijsq; à Deo donis acceptis, ita & viribus corporis abutuntur. Fit igitur erga eos iustissimè seuerus, erga quos ingratos fuit munificus. Polydamantem athletam Græcorum monumentis proditum est, velut Samsonem aliquem, inermi manu, in Olympo monte, insolitæ magnitudinis leonem confecisse. Memorant eundem etiam in armenta boum intrasse, & inibi taurum magnitudine insignem altero posteriorum pedum arripuisse, ferocientemque, & præarabido impetu profili- entem, non dimisisse priùs, quàm in eius manu vngulam reli- querit. Scribitur etiam quadrigas tota vi concitatas constan- tissimè retinuisse. Qua fortitudinis fama permotus rex Da- rius, Artaxerxis filius, virum magnæ mercedis pactione Susa pellicuit. Eò cùm venisset Polydamas, tres omnium Persarum fortissimos, qui vnà ex prouocatione arma susceperant in ad- uersum, solus contrucidauit. Cui inusitato robori confidens, dum fortè fortuna, cum aliquot alijs in spelunca recumberet ad mensam, conuulsusq; supernè scopulus ruinam minaretur, & omnes ad fugam impelleret, solus ibidem remansit, fore- sperans, vt saxum decidens facillè sustineret, quo tamen op- pressus

pressus est. Hæc Cælius recenset, de Polydamante, qui Samsonis æmulator veriùs, quàm imitator fuit; ille enim, ruinam in caput suum excitans vicit; iste victus est, dum ruinam voluit prohibere: sed sunt multi tales temeritate, non virtute, Atlantes; qui in humeros suscipiunt, quod ferre non possunt, audacia sua opprimendi. His cælestis vindex, qui *superbis resistit*, plagam post plagam infert, & vires vnà cum vita aufert, luculenter demonstrans, se omnibus gigantibus, gigantem esse validiorem; vt talis dicere cogatur: *Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas*; ille nimirum, qui gigantum, omnium est fortissimus; & non tantùm in minimis maximus, sed etiam maximis omnibus maior esse cognoscitur, quando vel in fortibus, vel in magnis rebus cognoscitur. Vt sunt etiam Balæna, Orca, aliaque monstra marina, quorum quædam dicuntur in oculorum peripheria sedecim vel viginti pedes continere; quæ cum tam magna sint, tamen ab homine dominantur & capiuntur. Vnde intelligitur, non modò quàm magni sint, quibus dictum est: *dominamini piscibus maris*, sed etiam multo que magis ille, qui est *Dominus vniuersorum, in quo condita sunt vniuersa, in calis & in terra.*

Iob. 16. 15.

Conrad. Lycosthen. in chronico Chronicor. l. 2. De Prodigijs.

Gen. 1. 28. Coloss. 1. 16.

CAPVT LI.

Climata celi, regiones terra, imaginationes vehementes, aliaque naturales, Monstrorum caussa.

D Rectorem Mundi pertinet etiam suam cuique rei indolem permittere, aliamque; alij pro diuerso loco & conditione, legem & naturam dare. Aliud cælum alium transfundit genium; alia terræ alios pariunt mores; immò alios quoque inducunt colores. Namque *Ethiops vicini sideris vapore torrerit, adustisq; similes gigni, barba & capillo vibrato, non est dubium. Et aduersa plaga mundi atque glaciali, candida cute esse gentes, flauis promissas crinibus: truces verò ex celi rigore has & illas mobilitates habentes. Ipsorum crurum argumento, illis in supera succum renouari, natura vaporis: his in inferas partes de-*

I.
Plin. l. 2. nat. hist. c. 78.

Vuuu pelli.